

## III. Schlagintweitia.

Involucrum biseriale, bracteis cinctum, receptaculo nudo multifloro. Achenium prismaticum, basi attenuatum, 10costatum, costis 5 prominulis, erecte, apice annulo pappifero cinctum, pappo piloso rigente rufescenti-albo.

Genus, quod fratribus Schlagintweit dico, ut eorum observationes Floram alpinam illustrantes agnoscam, ab Hieracio involucri fabrica habituque strenue distinctum est.

1. *S. intybacea*. —  *Ic. Vill. delph. 3. t. 31. dextr. — Syn. Hieracium intybaceum Wulf. (1778.). H. albidum Vill. (1779.). — Specim. german. (Styr., Carinth., Salisb., Tyrol.; legi in m. Fimberjoch alt. 6—7000' substr. micash.), helvet. (legi in m. Bernina), gallic. (m. Hoheneck Voges.: Mougeot). — Caulis 1—oligocephalus, cum foliis et involucri serie exteriori ubique glandulosus; folia oblongo-lineararia, attenuato-obtusiuscula, basi lata sessilia, ima squamacea: involucrum bracteis foliaceis cinctum, squamis utriusque seriei lanceolato-linearibus obtusiusculis; ligulae ochroleucae!, glabrae; stylus fuliginosus; achenia rufo-atra, 2''' longa.*

Alpes a Styria ad Delphinatum, Vogesorum m. Hoheneck et Pyrenaei (Gren.), alt. 3000'—7000'.